



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs IV. & Vltim. De vita sensitua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

phimaliam enasci arborem, quæ tangente homine languescit, & areret, manum verò retrahente, reuirescit, ut scribit Theophrast. lib. 4. histor. animal. cap. 3. quæ omnia videntur sensum saltem obscurum, & imperfectum in plantis arguere.


9. Ad primum tamen dicendum est, priorem securis istum mollius, ac facilius descendere, magisque efficacem esse, quam sequentes, non quod eius sensus, ac dolor plantam reddat cautiorem, eam ve contra damnum imminens acuat, ac veluti accendat, sed quod plantæ partes exteriores magis teneræ sint, minusque resistent, interiores vero è contrario sint magis duræ, nec ita penetrabiles, aut peruiæ, quamuis ambæ ex æquo sensu orani destituantur. Ad secundum dicendum est, plantas illas, quarum ibi mentio fit, vi solius sympathiæ, & antipathiæ, siue, quod eodem redit appetitus innati, fugæ vel desiderij, posse se loco tenus mouere, ac remouere ab aliis: haud secus ac lapis absque appetitu villo elicit per innatum solum feritur ad centrum suum, & à loco supero, quanta potest celeritate, fugit, se seque deuoluit. Et quidem, si talium plantarum vulgariū affectus non essent metaphorici, & innati, sed eliciti, & cum vero sensu, & cognitione coniuncti, cur aliquando non possint deponi aut certe temperari, ut recte disputat Scaliger exercit. 138. haud secus, ac belluæ assuefactione miscunt, & ferocitatem, aliosque affectus, aut omnino, aut magna ex parte deiciunt. Ad tertium responderi potest, & non improbabiler, sicut ad secundum. Probabilius tamen fortassis est, quod aiunt Nemes. lib. de hom. cap. 1. & noſter Raynaud. in disciplin. morali. dist. 3. q. 1. art. 2. num. 27. Alchynominem, & alias plantas, quæ in tertio illo argumento obiciuntur, quamuis appellari soleant plantæ, ob earum speciem quandam, & similitudinem, re tamen vere non esse plantas, sed plantanimalia siue propria animalia, & licet ad plantarum naturam quodam modo accedentia, quibusuis tamen plantis excellentiora.

10. Quartò denique animaduertendum est de vita nutritiva, eam ita separari à sensu in plantis, ut cum eo coniungatur in belluis. Contrarium docent aliqui apud P. Suarez lib. 1. de Anim. c. 5. num. 3. Quorum tamen sententiam merito pronuntiat Eximius Doctor intolerabilem, & grande paradoxum. Atque à principio quod aduersetur sacre paginæ constat ex eo Tobie cap. 11. *tunc præcurrit canis, qui simul fuerat in via: & quasi nuncijs adueniens blandimento sua cauda gaudet, nec non ex illo Isaia cap. 1. cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Rursus Ecclesie Patres, ut ex multis eorum testimoniis superius allegatis patet, belluis sensum passim attribuant. Præterea, ut experientia testatur, sunt in illis organa sensuum externorum: cum ergo natura nihil frustra agat, necessum est ut exterius sentiant. Ac profecto ita eas sentire etiam perfectius interdum, quam nos, est manifestissimum: inde vulgaris ille versiculus:

*Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcelsit aranea tactu.*

1. Quod item in his reperiatur sensus internus, aperte constat & per anatomiam, siue incisionem, & à posteriori: nam, ut recte Seneca epist. 124. *mutum animal sensu comprehendit præsentia: præteritorum reminiscitur, cum id incidit, quo sensus*

admonetur: tamquam equus reminiscitur viæ, cum ad initium eius admotus est.



TRACTIV. & VLT.

De vita sensitiva.

CAPVT PRIMVM.

De sensu visuo.

SENSUS exterior visus haudquaquam est potentia aliqua realiter distincta ab anima, & materia animata, & in oculis sedem, ac domicilium habens, sed potius ab ipsa oculorum penitiori saltem substantia, eorumque materia, & forma omnino indistinguitur: vnde vbi constiterit de syntaxi, & fabrica oculorum, quid sit etiam sensus visualis, constans, ac manifestum erit. Totum corpus oculi sex musculis, tunicis sex, tribus humoribus, duobus nervis, venulis, & arteriis innumeris, duabus carunculis, ac totidem glandulis, & copioso, ac abundanti adipe constituitur: quæ omnia hic sigillatim attingere, & quod eorum sit proprium visus sensiterium definire operæ præteritum erit. Musculi suapte natura instituti sunt, ut oculi quaecunque in partem mira volubilitate, & agilitate versent: quatuor sunt recti, eo quod oculum vel sursum, vel deorsum, vel ad dextram, vel ad sinistram recto tramite conuertant, duo vero obliqui obliquo, & quasi sinuato volumine oculum superius, aut inferius circumferunt in solis belluis, quas in terram natura depronauit, septimus est muscularum nervum opticum circundans, oculumque firmans, ne deorsum exorbitet.

Tunica oculorum instituta sunt potissimum ad humores oculi, ne dissiluant, continendos: prima omnium sita appellatur coniunctiua, siue adnata, eo quod oculum vicinis partibus coherere faciat: appellatur candida, aut etiam album oculi, eo quod extrinsecus candida, & callosa sit: corona etiam dicitur, eo quod non totum oculum, sed pupillæ quasi hemisphærium, sicut funda lapidem contineat. Secunda tunica cornea appellatur, eo quod pelluciditate sua, qua lumen, & species ad crystalloidem trahit, nec non duritie sua, qua eiusdem humoris propugnaculum est, & extrinsecus irruentibus iniuriis obstitit: his inquam, duabus conditionibus cornu prætenue affabre politum, ac deraſum referatur oculum circumdat: nullis venulis, nervis, aut arteriis obstruitur, sed potius absque earum ministerio ab vna sibi proxima alimenta mutuatur. Tertia tunica vnea appellatur, eo quod vne folliculum auulſæ pedunculo referat: totum oculum ambit, nisi quod antroſum peruia est rotundo: ac satis angusto foramine, quod pupillam, nigrum oculi, fenestram oculi nuncupant: hæc inter omnes tunicas sola variis picturata coloribus est, à quibus oculi modo cæsi, modo nigri, modo fului, alioque colore delibuti dicuntur. Quarta tunica dicitur aranea, eo quod aranearum telas tenuitate sua æmuletur: humorem crystallinum immediate in-

soluit,

inuoluit, & ob id tenuis, ac pellucida est, ne visionem in eo humore eliciendam opacitate sua impediat. Quinta tunica vocatur reticularis à retis similitudine: nascitur à medulari nervi optici substantia dilatata, & per eam species rerum visarum ad cerebrum, tanquam ad iudicem deferunt. Postrema tunica ab humore, quem continet, vitrea nuncupatur.

3. Humor oculorum triplex est, quorum anterior vocatur albugineus, siue aqueus, eo quod tenuitate, ac pelluciditate aquamoui candidam referat: posterior vero ob crassitatem, & consistentiam vitro fuso similis, vitreus appellatur: qui verò inter vitrumque medius est, & interiore sui parte vitreo humori immersus est, exteriori vero parte ei extat, ac supernat, & albugineo annectitur, modo humor crystallinus, & glacialis, modo vero cetrum oculi, anima oculi, specillum interius, viuis adamas, gemma liquabilis appellatur: ad hunc humorem si prohibeatur appulsus interni luminis, & spirituum visualium, ut in gutta serena contingit, aut etiam appulsus externi luminis, ac radiorum solis, aut syderum, ut in gutta caliginosa visu venit, illico quasi extincta lucerna omnis videndi actio perit.

4. Nervi oculorum in duo paria diuiduntur: quorum alterum visioni, alterum motui inferuit: nervi optici, siue meatus visorii, per quos spiritus animales ad crystalloidem admittuntur, in suo exortu separati sunt: deinde in medio ferme progressu coeunt, non per contactum simplicem, nec per intersectionem, sed per medullæ cōfusione: ita ut alterum ab altero nulla arte discernere queas: mox separantur, & per caluariæ foramen ad oculorum media partito itinere feruntur. Nervi oculorum motrices in suo exortu continui sunt, & vnicum funem constituunt; ut videlicet moto altero oculorum alter eadem ratione moveatur, & altero depresso, vel eleuato, aut etiam obliquo, alter etiam deprimatur, eleuetur, aut obliqueretur: finis autem huius cōsensionis, est, quia seclusa illa obiectum simplex: nunquam non duplex appareret, & præstantissimus sensus perpetuum pateretur errorem: siquidem ut obiectum vnicum, & simplex tale appareat, opus est, ut conorum visiorum axes super eodem plano locati sint: ita vero locati nequeunt, quin oculi, in quos acuminantur tales conii, in eadem linea sint paremque altitudinem, aut depressionem sortiantur: hac ratione qui digito applicato alterum oculorum sursum mouet, & super alterum eleuat, res omnes geminatas conspiciet.

5. Venæ, atque arteriæ oculorum magnam ad eos copiam spirituum vitalium, & naturalium traiciunt: carunculae in internis angulis oculorum sitæ, quæ est earum durities, & glandosa caro, prohibent, ne lacrymæ, aliæque sordes, quæ palpebrarum contractione introsum aguntur, oculos lādant, aut in genas rimis factis profluant: glandulæ vero in externis oculorum angulis sitæ humorem, è cerebro defluentem excipiunt, eoque irrigant oculos, illosque ad motum aptiores efficiunt: lacrymas etiam effundunt, ab earumque falsedine, & a crimonia oculos tuentur. Multus etiam adeps oculos humectat, ne videlicet continuis moribus æstuent, atque arefiant, & ne etiam vi ambientis frigoris rigeant, & contrahantur.

6. Illud autem in præsentis breuiter explicandum superest, inter omnes partes hæcenus explicatas

qualis sit ea, in qua tanquam in organo, & sensiterio proprio visio eliciatur. Mihi placet eorum sententia, qui visionem fieri in humore crystallino arbitrantur. Primò, quia humor crystallinus, qui per foramen pupillæ conspicitur, ab eo pupilla vocatur, aut certè, quod ad institutum perinde est, ab eo humore prædictum foramen pupilla appellatur: at visio in pupilla fit: ergo in crystalloide: neque enim in foramine aliquo, aut cauitate quatenus tali, cum sit quid negatiuum, effici potest. Maior, & minor est Aristoteles 1. de histor. animal. cap. 9. ibi: *humor oculi interior, quo videmus, pupilla est: quod eam ambit, nigrum dicitur; quod postremo nigrum circumdat, candidum, siue albugo*. Secundò suadetur: quia visio fit in nobiliore oculi parte, tanquam in proprio organo, & sensiterio, ut manifestum videtur: at pupilla, siue crystallois est nobilior totius oculi pars: tum quia medium, & præcipuum locum inter reliquas obtinet: tum quia id perspicue insinuare videtur sacra pagina Psalmo. 16. *custodi me, ut pupillam oculi*. Tertio suadetur: quia humor crystallinus alius magis splendens, perspicuus, ac diaphanus est: deinde solus inter omnes coloris experts est, ne videlicet alienos colores percipere incapax esset: haud aliter ac per vitrum viride aliis coloribus delibuta prout talia non apparent: deinde à tergo humore opacum, ac nigricantem plumbi instar habet; cuius munere videlicet species visus in crystalloide reflectantur: at hæ omnes conditiones visionem fieri in humore crystallino, eoque medio, aperte indicant.

7. Quod autem Auicena, Ciruelus, Vitellius, Albertus Magnus, & alij docent, visionem non fieri in oculis, sed in ea nervi optici parte, qua gemini eius rami cōfunduntur, absque negotio refelli potest: tum quia in aliquibus nervi optici non coeunt cum tamen visu polleant, ut scribit Vesalius li. 4. de fabrica corporis humani cap. 4. in quodam squelero expertum fuisse: tum etiam, quia experimur altero oculorum clauso, per alterum acutius nos videre: at huius nulla alia ratio excogitari potest, nisi quia spiritus animales, qui duobus oculis apertis ad duplicem potentiam visiuam in utroque residuam diuisi tenderent, altero oculorum clauso ad vnicum tantum potentiam visiuam vnius oculi propriam confluant, ibique commissa, & quasi vnita virtute fortius, & efficacius operantur. Quod autem docet Tolerus lib. 2. de anima quæst. 17. visionem fieri in tunica aranea, siue speculari, ex dictis impugnatum manet, & vltius refelli potest: quia si qua ratione tunica illa esset organum, & sensiterium visus, maxime quia nullus humor, ac proinde nec crystallinus sentire potest, ut constat experimèro sanguinis, qui nullius vulneris ictu dolorem sentit: at hæ ratio, cui innicitur Tolerus, nullius momenti est; cum non omnis sensio dolorifera sit, & ex primæua institutione solam alicuius obiecti corpoream perceptionem significet.

C A P V T II.

De obiecto, ac modo sentiendi visus.

8. Obiectum proprium visus, experientia teste, color est: color autem nihil aliud est, quam lux corporibus offusa, nec non varia, ac multiplex ipsorum

ipforum corporum temperies, ac principalium qualitatum commixtio: ita Aristoteles in I. de sensu, & sensibilib. 3. ubi definit, colorem esse *extremitatem perspicui in terminato corpore*: ac corpus terminatum quid aliud est, quam corpus non diaphanum, sed opacum, demsumque, in quod visio terminetur, & ultra quod commeari non possit: extremitas vero perspicui, siue quod perinde est, perspicuitas extremi, quid aliud est, quam lux in superficie eius corporis existens; cum lux cum perspicuitate, & extremitas cum superficie coincident: ergo omnibus verbis inuicem inter se oblati iuxta Aristotelem nihil aliud est, quam lux in superficie corporis opaci, ac vmbatici existens. Aristotelem sequuntur B. Thomas 2. de anim. lect. 14. ibi: *color nihil aliud est, quam lux quadam quodam modo obscurata ex admissione corporis opaci*. Auicena, Auenapius, Alpharabius, Albertus Magnus, Alexander Themistius, Thienensis, Egidius, Caietanus, Iauellus, & Socinas 10. Metaphyl. q. 2. & quod caput est, id ipsū insinuare videtur Ecclesia in quodam hymno, ibi: *rebusque iam color redit, vultu nientis syderis*.

Hanc ergo sententiā multiplicis auctoritatis praesidio fultam vnica ratione efficaciter suadeo: namque cum iris v.g. mille irabit varios aduerso sole colores, & modo indici mali citrini liuer, modo luxuriantis graminis amula reuiscit, ac modo violis omnibus formosius purpurascit, eiusmodi colores ab irradiatione luminis in nube caua, & opaca refracti minime distinguuntur: id ipsum ergo de quibuscumque aliis coloribus dicendum est. Consequentia perspicua est: ubi enim aliqui colores à luce corporibus vmbrosis illusa non distinguuntur, reliqui etiā ab ea indistincti erunt; cum omnium par sit ratio, nec nisi sensu refragante inter colores veros, & apparentes, fluxusque & permanentes ab aliquibus distinguatur. Antecedens verò manifestum est: siquidem si sol ex aduerso nubē non feriat, aliumque situm, aut posituram respectu illius obtineat, eandem nubem cernemus, nulla tamen, aut certē non eadem varietate, ac numerositate colorum picturatum, nullo arcu sinuatam, ac nulla iride obliquatam: dubitari ergo nequit, colores illos celestis arcus nō in qualitatibus aliquibus, quē nubi permanenter inhaereant, sicuti communius existimatur, sed in luminis ex aduerso repercurſu consistere.

Quod ad modum sentiendi visus attinet, Philosophi omnes Aristotele antiquiores, ac praesertim eius Magister Plato existimauerunt, visionem fieri emissis ab oculo radiis, & igniculis, qui obiectum vsque pertinent, eiusque imagine, ac specie hausta ad oculū recurrant, quasi nuntij rerum earum in quas inciderint. Ita etiam sentiunt cum Euclide in I. de perspectiua, & Ptolemaeo in catoptrico plerique Astrologi, & per speciem: ita etiam Galenus in libris de vsu partium, & cum eo non pauci Medicorū: ita demum quod caput Aristoteles ipse I. 2. de cōlo, & alibi non semel, & ex eius discipulis Aphrodisaeus. Hae sententiā nobis etiā magis placet: & probatur primò auctoritate non solum eorum, quos nuper allegauimus, verū etiam Ecclesiae Patrum, quorum plerique (ne dicam omnes) ita sentiunt, praesertim vero Basilii Homil. 11. in exam. Chrysostomus tom. 1. Homil. 2. de verbis Isaia: *Vidi Dominum*. August. I. 6. musicae, nec non lib. 4. de Genesi ad liter. cap. 346. omnium verò clarissime, & elegantissime Diuus Mamertus lib. 1. de statu animae cap. 7. videndus.

Secundò suaderetur ratione: quia vt in I. 9. de cōlo exposuimus, quae orbiculari, ac sphaerica sunt, plana tamen nobis apparent, si procul aspiciantur; quaeque in se maxima sunt, procul etiā visa, longe tamen mi-

nora, quam in se sint, nobis representantur: quae duo in sole, & luna quotidie cernuntur, quorum globi, cū maximi sint, cumque tumore, & conuexitate praediti sint, exigui tamen, & plani nobis videntur: at horum, ac similibus nulla alia ratio esse potest, nisi quia pro obiecti maxima distācia, visusque nostri tenuitate nō possumus eiaculari radios, qui totum illud pertingant, eiusque totius speciem referant: vnde totum illud à nobis non videtur: quo fit, vt sphaerica, ac conuexa eiusmodi nobis non appareant, eo quod tumor ille partium planitiei contrarius radiorum idum subterfugiat, & obiectum ingentis magnitudinis minimum tamē nobis videatur, eo quod plerūque eius partes radiis visorij minime feriantur. Aduersarij autem nullam harum rationum reddere possunt, cum enim partes omnes obiecti ex aequo distent, aut nullae, aut certe omnes speciem sui emittent, prout oportet ad hoc, vt represententur. Tertiò suaderetur: quia vt acutius videamus, oculos coangustamus: at nō alia de causa, nisi vt radij visuales ab oculis egredientes magis vniantur, & fortiori scatebra erumpant. Quod vero dicunt aduersarij, id euenire, ne ab externo lumine spiritus interni dissipentur, friuolum prorsus est: quia cum lumen exterum valde remissum, ac tenue est, adhuc oculos coangustamus, vt perspicatius videamus: at tunc nullum dissipandorum spirituum periculum est. Deinde quantum ea coactione, ac constrictione pupillae impeditur dissipatio spirituum internorum, tantūdem etiam iuxta aduersariorum sententiam impeditur exceptio specierum externarum, quae dilata pupilla maior esserigitur non est, cur ea coactio pupillae visionem acuat, & perspicaciorē reddat.

Porro autem, vt nonnulla contra hanc sententiam argumenta praecaveantur, animaduertendum est primò, supposita infinitate partium continui minutissimos radios numero propè infinitos ab exigua oculi pupilla egredi posse. Secundò animaduertendum est, eiusmodi radios à ventis dissipari, & in diuersas partes impelli non posse, eo quod, subtilissimi cum sint, absque vlla resistentia per aëris poros summa celeritate, ac nobis imperceptibili, vniūque momenti amula penetrant. Tertiò animaduertendum est, huiusmodi radios ab oculis emissos ad eosdem regredi: tum reflexo impetu, non secus ac pila palmaria à pariete ad manum repellitur: tum etiam, quia quemadmodum cōlum ab vna linea egreditur, & ad eam naturali pondere regreditur, & aqua maris insitis etiam sibi momentis à mare exit, & ad mari reuertitur: ita similiter in praesenti, &c. Animaduertendum quartò est, huiusmodi spiritus nonnulla corpora, aliās densa, qualia sunt vitrum, & crystallus, facile penetrare posse; alia vero, cuiusmodi sunt ligna, & lapides, permeare non posse: haud aliter ac fulmen illāsam vaginā penetrat, ensē verò penetrationi resistentem liquat, & aliqua, non omnia corpora traiecit, quae est eius peculiaris natura, & conditio. Animaduertendum tandem est, radios visuales non solos, sed speciebus onustos ad potentiam redire.

CAPVT III. & vlt.

De reliquis sensibus externis, & internis.

AVditus in auribus praecipue consistit, in quarum medio inter complures meatus inclusa est membrana, quam alij tympanum, alij miringam appellant: intra membranam hanc continetur aër quidam, quem

alij vernaculum, alij mobilem, alij aliis nominibus nuncupant: huiusmodi aer est proprium organum auditus, ut fert communior sententia, & perspicue constat: tum ex eius situ, quem inter ceteras omnes aurium partes medium ac magis nobilem obtinet; quatione supra pupillam visus organum statimimus: tum etiam ex eo, quod tradit Galenus l. 3. de usu partium c. 6. ibi: *alteratur non à quouis sensibili omne sensorium, sed splendidum quidem, ac lucidum à caloribus, aereum à sonoris, vaporosum ab odoribus; & ut in summa dicam, simile simili notum est, ac familiare.* Obiectum auditus est sonus, qui definitur ab Arist. l. 2. de anima text. 85. *motio eius, quod eo motu moueri potest, quo mouentur ea, quae resiliunt à corporibus lauius, cum quispiam percutit.* Quo circa ad sonum tria requiruntur, nimirum duo corpora, quae se collidant; & aliud, quod ex amborum collisione resiliat. Hinc fit, falso eos opinari, qui sonum arbitrantur esse qualitatem à motu omnino distinctam: tum quia contradicunt Aristoteli: tum quia sicut motus corporum se se collidentium successiuus est; ita similiter sonus experientia teste successione importat: tum etiam quia sicut corpora sonora aerem mouent, non recta, ac versus longum, sed orbiculariter, haud aliter ac lapis in aquam decidens varios, & inaequales in ea circulos describit: ita etiam sonus non recta, sed circum circa effunditur. Vox ab Aristotele, & reliquis Philosophis communiter ita definitur: *sonus animalis factus ab aere à pulmone per respirationem, ad gutturosum, quae emissio cum intentione aliquid significandi: loquutio, siue sermo est vox solius hominis propria, quae syllabis, distinctionibus, aliisque terminis modularur, ac dearticulatur: echo autem est sonus, motusque reflexus; sicut cum lapis in puteum decidit, & circuli vsque ad parietem descripti ordine inuerso regrediuntur.* Porro autem quamuis triplex, aut quadruplex sit sonus in motu à nobis constitutus sit, ab eo tamen inadaequate distinguitur; & ulterius temperiem primarum qualitarum corporibus sonoris propriam, ac peculiarem importat: tum quia plura corpora inuicem mouentur, & colliduntur, quin sonitum edant, ut in corporibus caelestibus, nec non iuxta aliquos in elemento aquae conspiciere est: tum etiam quia motus, & sonus diuersas habent proprietates, alterque velox, aut tardus; alter vero acutus, aut grauis appellatur.

Olfactus neque in ventriculis anterioribus cerebri, ut Galenus censuit, neque in ossiculis mamillariibus narium, ut Vesalius arbitratus est, neque in nervis per cartilagineas narium ductis, ut Magnesi maluit, sed in interiori naso, velut organo proprio consistit, ut cum Aristotele Philosophi communiter docent, & experientia ipsa testari videtur. Obiectum olfactus est odor: odor autem non est qualitas, ut Peripathetici docent, sed vapor quidam substantialis excellenter calidus, ac siccus, ut Philosophi omnes Aristotele antiquiores malunt; & duplici experientia praeter alias breuiter ostendi potest. Primo namque experimur flores, dum redolent, marcescere, & poma corrumpi: signum igitur est, non sine propriae substantiae dispendio, & alicuius vaporis emissionem eiusmodi corpora redolere. Deinde experimur, corpora aliqua non nisi cum calefiunt, odorem spirare: igitur simul

cum odore vaporem aliquem spirant. Organum proprium gustus est lingua quoad interiores eius partes molli quodam neruo tentas, ut cum Aristotele Philosophi communiter docent: organum vero tactus non est cor, neque peculiaris aliquis nervus, ut alij aliique arbitrari sunt, sed caro, & cutis, quam late per vniuersum corpus distenduntur. Obiectum gustus est sapor, quem non qualitatem aliquam esse arbitramur, sed humorem quendam substantialem, quos cibis natura ingenerauit; & quo expressio non nunquam insipidi, insulsi que remanent. Obiectum tactus sunt quatuor primae qualitates, nec non aliquae secundariae ex iis oriundae, cuiusmodi sunt molities, ac durities, raritas, ac densitas, si haec qualitates censeantur. Porro autem gustus, & tactus non sentiunt qualitates suis organis inhaerentes: tum quia aliàs semper sentirent: tum etiam à pari, quia visus & auditus non nisi sonos, & colores externos percipiunt. Hinc communiter, & non improbabilius deduci consuevit, obiecta gustus, & tactus mediis speciebus harum facultatum actus efficere: siquidem eiusmodi obiecta potentias suas immutare debent, ut ab iis percipi possint: non physice, cum iis non inhaereant: ergo intentionaliter, & mediis speciebus.

Praeter sensus externos internum aliquem dari liquido conitatur ex belluis, quae cum dormiunt ac sensus externos sopitos habent, somniantur tamen, & aliquid interius sentiunt: rursum eadem iter aliquod sibi quondam noxium repetere nolunt: igitur quia obiecta aliqua absentia, & sensibus externis imperceptibilia per arcanam aliquam, ac superiorem facultatem percipiunt. Sensus hic internus, quatenus percipit obiecta omnia sensuum extenorum, appellatur sensus communis: quatenus vero sola absentia, qualia cumque sint, percipit, appellatur phantasia: quatenus vero eademmet componit, atque inuicem comparat, imaginatiua: deinde quatenus obiecta aliqua prout sibi constantia, aut dissidentia apprehendit, dicitur aestimatiua: rursum aestimatiua, prout aliquanto perfectior est, & in homine reperitur, cogitatiua dici solet: memoria est circa praeterita: reminiscencia est rerum praeteritarum in particulari, & non sine quodam discursu, & in dagine.

Quod autem ad radicem sentiendi attinet, tamen si eam in corde Aristoteles collocauit, longe tamen probabilius est, quod Galenus, & B. Thomas, & cum utroque Medici, & Theologi communiter docent, eam in cerebro residere: tum quia spiritus animales à solo cerebro in omnes sensus dispensantur, ut ex anatome neruorum, quibus feruntur, perspicue constat: tum etiam, quia, cum laeditur sensus interior, aut phantasia, non cordi, sed capiti medicamenta applicantur: igitur eiusmodi sensus interior exteriorum omnium in genere causae finalis praecipua radix non in corde, sed in cerebro residet. Tandem, quod ad appetitum sensitiuum attinet, quanquam partem concupiscibilem in hepate, & irascibilem in corde nonnulli collocant; ceterum communiter, & probabilius est, utramque in corde sedem habere; quippe quod non solum, cum irascimur, aestuat, verum etiam experientia teste, quibus suis aliis affectibus tangitur, & commouetur.